



Serenissimæ
 Augustissimæ ac Potentissimæ
 Catharinæ
 Magnæ Britannicæ
 Franciæ & Hybernicæ
 Reginae
 D. V. R.

Chantre



Small, faint, and mostly illegible text or inscription located at the bottom center of the page, possibly a title or a decorative motto.

CORONAM PHYSICAM

NOVEM GEMMIS SPLENDEDE IMBUTAM,

PRÆSIDE

R. P. ac S. M. IOSEPHO DE ALMEYDA
Societatis IESU,

PROPUGNABIT

SIMON LOPES SAMUDA

In Aula Regali Artium Collegij Conimbricensis. Integra die 7 Martij

QVÆSTIO PROBLEMATICA:

Vtrum Datur forma Corporeitatis? Negative.

GEMMA PRIMA

Vtrum Generatio qua mutatio est, includat essentialiter Privationem? Negat.



Pincipium in essendo rectè definitur: *Id, à quo aliquid aliquo modo procedit.* 2. Principia corporis naturalis in facto esse sunt tantum duo, scilicet materia, & forma. 3. Difficultas est: Vtrum generatio, ut mutatio est, essentialiter requirat materiam, formam, & privationem? Affirmativè.

- 4. Datur materia prima, quæ essentialiter definitur: *Primum subjectum, ex quo fit compositum substantiale*; & ratio primi subjecti consistit in eo, quod sit prima pars essentiae essentialiter ordinata ad constituendam cum forma primam rem.
- 5. Materia prima habet existentiam distinctam ab existentia forme.
- 6. Quantum est ex se, potest Materia prima existere sine omni forma, non tamen id appetit.
- 7. Materia prima separata ab omni forma conservaretur à Deo per eandem actionem, qua conservabatur sub forma.
- 8. Actio conservativa materia sine omni forma non est supernaturalis in entitate.
- 9. Materia prima separata ab omni forma pateretur violentiam.
- 10. Materia prima de facto est ingenerabilis, & incorruptibilis, potest tamen divinitus generari & corrumpi.

GEM-

GEM-

GEMMA SECUNDA

Utrum Possibilis sit Materia prima nobilior aliqua forma substantiali corporea? Affirmativè

I



MATERIÆ primæ quantitas est proprietas, qua præcisa, materia est divisibilis in partes integrantes. 2 Saltem divinitus Materia prima potest recipere formas substantiales media potentia accidentali distincta. 3 Materia prima formam præsentem appetitu gaudij non appetit, sed appetitu desiderij. 4 Modo dubium est: Utrum materia prima quantum est ex se, appetat formas corruptas? Minimè. 5 Materia prima, quæ plures formas posset recipere, esset ignobilior illa, quæ pauciores posset recipere. 6 Possibilis est Materia prima specie diversa ab hac, quæ de facto datur, & capax unius tantum formæ corruptibilis in individuo. 7 Quæstio est: Utrum etiam possibilis sit Materia spiritualis, quæ solum possit informari forma corporea? Affirmativè. 8 Forma definitur: *Actus simplex substantialis physicus ordinatus ad componendum cum Materia unum per se.* 9 Formæ modales nec divinitus possunt existere separatæ a suis realitatibus; possunt tamen creari. 10 Plures formæ possunt educi, vel creari per eandem numero actionem.

GEMMA TERTIA

Utrum Passio possit divinitus creari? Affirmativè.

I



ANIMA rationalis, quæ est formaliter independens à subjecto educationis per actionem creativam, nec divinitus potest educi. 2 Quæritur: Utrum eadem numero forma possit informare simul duas materias discontinuatas? Et utrum plures formæ possint informare eandem partem materiæ in eodem loco? Respondetur, quod non possunt naturaliter, possunt tamen divinitus. 3 Datur unio physica, quæ neque de possibili potest esse indistincta à suis extremis. 4 Una tantum datur unio in composito physico, quæ de facto recipitur in materia; attamen de possibili in formam potest recipi. 5 Difficultas est: Utrum unio compositi humani posita ex parte formæ sit spiritualis, & indivisibilis? Affirmativè. 6 Unio Animæ rationalis in prima hominis productione non producitur ab anima geniti, sed ab anima matris immediate. 7 Compositum humanum, quod est eductum, non distinguitur ex natura rei à suis partibus simul sumptis, sed à qualibet sigillatim. 8 Compositum accidentale est unum per se. 9 Definitio naturæ, quæ sic se habet: *Principium & causa motus, & quietis ejusdem in quo est primo, & per se non in accidens,* competit materiæ primæ, formæ, non verò unioni, & composito. 10 Ars, quæ definitur: *Habitus intellectualis, qui cum recta ratione producit opera extrâ se,* concurrat ad opus artificiosum, non effectivè, sed directivè.

GEM-

GEMMA QUARTA

Utrum *Causa in communi rectè, & adæquatè dividatur in Materialem, Formalem, Efficientem, & Finale?* Negative.

CAUSA in communi benè definitur: *Id, à quo aliquid per influxum dependet.* 2 *Causa in actu primo proximo constituitur per suam intrinsecam virtutem, præparato concursu causæ primæ, & positis conditionibus requisitis ex parte virtutis ipsius causæ, & non per causalitatem possibilem.* 3 *Causa in actu primo proximo respicit essentialitèr in individuo suos effectus posibles.* 4 *Divina Omnipotentia est relatum transcendens ad possiblea, non tamen illorum causa actualiter influens.* 5 *Causa in actu secundo constituitur per causalitatem, quæ non est distincta a causa & effectu.* 6 *Nec divinitus potest efficiens operari physicè, quin existat.* 7 *Idem non potest se ipsum, neque divinitus, producere quoad primum esse, neque etiam reproducere.* 8 *Ad veram rationem causæ non sufficit prioritas originis, neque rationis, neque requiritur prioritas temporis, sed tantum naturæ.* 9 *Dux causæ ejusdem, vel diversi generis non possunt se mutuo causare, quoad primam existentiam.* 10 *Difficultas est: Utrum possint ad invicem esse causæ quoad secundum esse? Affirmativè.*

GEMMA QUINTA

Utrum *Causa Materialis sit vera, & rigorosa causa?* Negative.

SUPOSITO, quod sit vera causa Materia, indistantia cum forma non est conditio requisita ad causandum. 2 *Accidens corporeum benè potest divinitus subjec- tari in subjecto spirituali, & è contra accidens spirituale in subjecto corporeo.* 3 *Forma non est rigorosa cau- sa nec materiæ, nec compositi.* 4 *Dubium est, utrum introductio unius formæ positivæ sit prior expulsionè alterius? Affirmativè, non tamen in formis privativè oppositis.* 5 *Datur causa efficiens, quæ definitur: Principium per se extrinsecum, a quo primo est actio.* 6 *Efficiens creatum non potest naturalitèr agere in remotum, quin prius agat in propinquum, potest tamen agens conjunctum.* 7 *Agens non potest agere in passum æqualitèr intensum, & extensum.* 8 *Neque agens magis extensum, in passum minus extensum, æqualitèr tamen intensum potest agere.* 9 *U- num accidens aliud producens est illius causa principalis.* 10 *Solum de potentia Dei absoluta potest idem effectus pendere a duplici efficiente adæquato, non verò à duplici efficiente totali.*

Utrum *Creatura possint conservari à se ipsis?* Negative.

I **D**ATUR causa Divina Efficiens, à quâ causæ secundæ dependent, non solum in fieri, sed etiam in conservari. 2. Grave dubium est: Utrum Deus, ut Author naturalis requirat indistantiam ad operandum? Minimè. 3. Causa finalis definitur: *Id, cuius gratia aliquid fit.* 4. Quæres: Utrum finis *cui*, & finis *cujus* habeant veram rationem finis? Affirmativè. 5. Finis *cui* magis amatur, quam finis *cujus*. 6. Finis non est causa phisica, sed intentionalis. 7. Negationes, Privationes, Entia rationis possunt finalisate. 8. Non potest tamen finalisare indifferens quâ tale, & impossibite cognitum, ut impossibile. 9. Idem numero effectus potest naturaliter pendere a duplici fine adæquato extrinseco, intrinsicco tamen nec divinitus. 10. Exemplar creatum cõsistit in utroque conceptu, formali scilicet, & objetivo.

GEMMA SEPTIMA

Utrum *Continuum Permanens constet solis indivisibilibus?* Affirmativè.

I **I**NDIVISIBILIA finita, quibus componitur continuum Permanens, sunt inter se æqualia. 2. Quæritur, Utrum talia indivisibilia continui inter se æqualia natura sua possint inflari? Affirmativè. 3. Puncta continui Permanentis sunt virtualitèr, & æquipollentèr divisibilia in infinitum. 4. Continuum successivum constat solis indivisibilibus. 5. Difficultas est: Utrum partes in continuo sint actu, an sola potentiâ distinctæ? Respondetur esse actu distinctas. 6. Supposito, quod continuum Permanens constet partibus in infinitum divisibilibus, non dantur in illo aliqua puncta, sive copulativa, sive terminativa. 7. Datur de facto infinitum syncategorematicum, non tamen categorematicum rerum positivatum, sed negationum. 8. Possibile est infinitum categorematicum. 9. Potest infinitum claudi duobus terminis immediatis. 10. Omne infinitum Categorematicum est infinities infinitum.

GEMMA OCTAVA

Utrùm *Ubi Angelicum occupans spatium divisibile sit indivisibile?* Affirmat.

I



VI non est forma distincta, supposito tamen, quod sit, de facto esset modus, de possibili esset realitas. 2 Quæres, Utrùm supposito, quod ubicatio sit forma distincta a re ubicata, possit existere absque omni ubicatione? Respondemus non posse naturalitèr, posse tamen divinitùs. 3 Divinitùs, & non naturalitèr potest una res ubicari per ubi alienum, & habere in eodem loco plura ubi ejusdem, aut diversæ rationis. 4 Non datur vacuum, possibilis est tamen creatura, quæ vacuum possit inducere. 5 Indivisibilia temporis præteriti non possunt à Deo reproduci. 6 Æternitas consistit formaliter in positivo. 7 Difficultas modo est, Utrùm duratio de possibili possit esse forma distincta ex natura rei à re durante? Negativè. 8 Res non durat in primo instanti suæ productionis. 9 Non est possibilis creatura durans essentialitèr per spatium unius horæ, vel quadrantis. 10 Possibilis verò fuit creatura permanens ab æterno producta.

GEMMA NONA

Utrùm *Motus localis distinguatur a mobili?* Negativè.



I



MOTUS, qui definitur: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia est*, datur ad substantiam. 2 Motus non distinguitur realiter ab Actione, & Passione. 3 Quando motus directus est naturalis, & reflexus violentus, causa illius reflexionis est impulsus productus ab ipso corpore cadente, & aliquando est impulsus productus à projiciente. 4 Res projecta sursum non quiescit in puncto reflexionis. 5 Maior, vel minor velocitas provenit ab eo, quod eodem tempore maius, vel minus spatium percurratur absque ullis morulis. 6 Motus permanens, & successivus incipit, vel desinit intrinsecè. 7 Mobile neque naturalitèr, neque divinitùs potest in instanti moveri motu locali propriè dicto. 8 Etiam motus, ut motus est, essentialitèr, & primariò specificatur à solo termino formali, ad quem tendit. 9 Successio non est de essentia motùs absolutè sumpti. 10 Difficultas est, Utrùm possibilis sit entitas, quæ a loco moveri nequeat etiam divinitùs? Affirmativè.



CONIMBRICÆ Superiorum Gratià.

Apud JOANNEM ANTUNES Anno Domini 1697.

P. 103
 56304

Utrum Ubi Augustinus occupans...
 B I non est forma distincta...
 in de facto est modus de...
 Quare, Utrum sapientia, quod...
 distincta a re abicit, hoc existit...
 non, Respondens non posse naturam...
 Divinus, & non naturaliter potest...
 ubi alium, & habere in eodem loco...
 Non datur vacuum, possibilis est...
 non posse inducere, Indivisibilis...
 Pro-repudiatur, & terminus...
 huius modo est, Utrum duratio...
 ex naturali a re durat, Negative...
 hanc lae productionis, Non est...
 ter per spatium unius horae, vel...
 auri permanentis ab eterno producta.



GEMMA NONA

Utrum Motus localis determinatur a mobili Negative.

OTUS, qui dicitur, dicitur...
 in potentia est, datur ad...
 tus non distinguatur realiter ab...
 Quando motus dicitur est naturalis...
 xus violentus, causis illius...
 ductus ab ipso corpore cadente...
 Res projecta sursum non...
 Major, vel minor velocitas...
 per manus, vel minus spatium...
 Motus permanentes, &...
 Mobile neque naturaliter, neque...
 in motu locali propriis dicitur...
 & primo spectatur a solo...
 Successio non est de essentia...
 culas est, Utrum possibilis sit...
 Divinus Affirmative.



Apud JOANNEM ANTUNES Anno Domini 1697.
 CONIMBRICÆ Superiorum Galliarum.